

ROBERG, LARS
WERNER, ADAM

**Dissertatio physica Græs-Oeam
repræsentans, quam ... præside ... Laurentio
Roberg ... publico eruditorium examini
modeste submittit ... Adamus Werner,
Jemtius. In aud. Gust. majori ad d. [18]
februari**

Upsaliæ, literis Wernerianis.
[1727]

EOD – Millions of books just a mouse click away! In more than 10 European countries!



Thank you for choosing EOD!

European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook.

Enjoy your EOD eBook!

- Get the look and feel of the original book!
- Use your standard software to read the eBook on-screen, zoom in to the image or just simply navigate through the book
- *Search & Find:* Use the full-text search of individual terms*
- *Copy & Paste Text and Images:* Copy images and parts of the text to other applications (e.g. word processor)*

* Not available in every eBook.

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions provided by the library owning the book.


- Terms and Conditions: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/en/agb.html>

More eBooks

Already more than 30 libraries in over 12 European countries offer this service.

Search books available for this service: <http://search.books2ebooks.eu>

More information is available at <http://books2ebooks.eu>





~~64~~ 19

~~120~~

Q. F. F. Q. F.

DISSERTATIO PHYSICA
GRÆS-OEAM
REPRÆSENTANS,

QUAM,

*Consensu Amplissima Facultatis Medicæ
in Regia Academia Upsaliensi,*

PRÆSIDE, *Experientissimo & Celeberrimo VIRO,*
Dn. LAURENTIO ROBERG,

Med. Doct. Theor. & Pract. Prof. Ord.

Publico eruditorum examini modestè submittit

ALUMNUS REGIUS,

ADAMUS WERNER,

Jemius.

In Aud. Gust. majori ad d. 18. Februarii

An. MDCCXXVII.

A.



P.22.

UPSALIÆ, Literis WERNERIANIS.

100 100 2

VIRO Plurim. Reverendo Praeclarissimoque
Mag. JOHANNI BREMMING,
PASTORI Meritissimo in Liustorp anesisq; Hessica & Tynderæ,
PATRI OPTIMO.

Spectate fidei & dignitatis VIRO,
Dn. PETRO ALMGREEN,
Gevaliensium SENATORI æquissimo, MERCATORI perindustrio
PATRONO COLENDO,

Spectatissimo & Prudentissimo VIRO,
Dn. JACOBO WERNER,
MERCATORI apud Gevalienses perindustrio FAUTORI
semper honorando.

ITa sum mature edoctus, quid orbitas esset & res angusta do-
mi, & dura in atate tenera disciplina, amisso Patre Adamo
Wernero Legionis Fenticae Chirurgo ordinario, victricia ca-
stra CAROLI REGIS An. 1700. secuto, & ad Mitoam Curlan-
dia urbem paulo post extincto, me ad modum puero ad Fræssæen-
sem scholam ablegato, ut initiarer literis, Matre per tredecim in-
tegras annos vidua, undevicennali bello vigente, etiam secundis suis
preliis calamitosa; Ut non possim non pro Numinis gratia singula-
ri reputare, quod Te Reverende Vir, vitricum nactus indulgen-
tem, nec patrem desiderarem amplius, quem ne videram quidem,
nec reddita patriæ pace pacificis artibus bonarumque disciplina-
rum studiis, necessaria subsidia. Itaque merito Tibi Altiori ac Edu-
catori benigno, hosce studiorum fructus vel flores saltem, piè offe-
ro, do & dico, & obsequiosissimum animum per vitam omnem ser-
vaturum me sanctè promitto. VOBIS itidem Nutricii mei
semper colendi, hosce qualescunque exercitationis academicae cona-
tus adscribo, ut mentem gratam tester spondeamque vestrorum in
me beneficiorum memoriam nunquam intermorituram.

ADAMUS WERNER.



IN Helvetiæ historia naturali Johan. Jacobus Scheuchzerus Medicinæ Doctor ac Mathematicum Professor, descriptionem inseruit montis Pilati dicti, juxta civitatem Lucernam, consignatam dudum, utpote Anno 1555. per Conradum Gesnerum Tigurinum Medicum, amantissimum patriæ suæ virum & diversi generis scriptis editis ita clarum, ut ex eo Plinii Germanici, apud doctos nomen promeruerit. Is autem Conradus Gesnerus in hujus opusculi præfatione de se ipso refert, sese ex veteri consuetudine tum animi tum valetudinis gratia vel singulo vel altero quoque anno brevem aliquam peregrinationem, præsertim montanam, suscipere solitum, uno vel altero amico comite, chirurgo ut plurimum, pharmacopæo ac pictore. Nam id historiæ naturalis inquirendæ gratiâ præcipue ab eo factum, idque magno fructu perfectum docent hujus viri vasta volumina de quadrupedum, avium, piscium, serpentum natura, numerosissimis delineationibus ad vivum ut dicitur adumbratis & buxo incisis referata. Certe proxima historiæ naturalis elaborandæ via plurimis, dudum visa est, ut quisque regionem sibi vicinam,

A

GRAES-OEA

einam, describat. Nam Alexandrum non omnia secula dabant, ita ut abundantes e gentium everfarum ruinis divitiæ aurumque ex incendiolorum cineribus quasi cribratum, in talenta plura, uno Aristoteli quotannis largienda, ad solam animalium historiam consignandam, sufficere possint. Saltem juvenibus sine periculo ad exercitationem suscipere hæcce argumenta licebit, ut sibi sæpiuscule visa observataque, apta descriptione complectantur, cum & hæc Regio non montium modo miraculis, ut de Helvetia Gesnerus loquitur, abundet, sed & littora licet horrida syrtibus præruptisque in abyssum stipata rupibus, memorabilia varia subministrant. Quod naturale quasi, præteritum Scandinaviæ huic munimentum, a vocabulo Græco *οχηρος*, Anglis Shore, Littus, portus, & Horti voce Latina: *DEN SWENSKA SKIÆR-GÅRDEN* dicimus. Ego ne frustra Regium clementer concessum consumere viderer stipendium, provinciis nobilioribus relictis aliis tibi cinibus, unam saltem mihi designandam sumam *GRAES-OEAM* sub solano Uplandiæ lateri longè præteritam, & Pharo sua saltem, ubi faces accensæ noctu navigantium cursum dirigunt, prænobilem. In qua re si quid fortè præterierim, tantum abest, ut id emendari ab aliis grave duxero, ut etiam nihil acceptius erit mihi lætiusque.

Itaque cum stativæ Upsalenses feriæ abesse nos ab Academia permitterent, 1726. Mense Julio, Gevaliâ celebri Gestriciæ Emporio, ubi tum forte degebam, profectus per Elskarlebyam, Veslandiam, Löfstadium, Massariam officinam ad Forsmarkiam pertinentem, Oeregrundam tandem adii, littorale oppidum, unde proximus in Græs-öam transitus est. Constat Oeregrunda, paræcia una, & civibus fere ducentis; nomenque a Scopulis & profundo impositum olim, habet. Nam *ΠΡΩΝΟΣ*, profundum significat & *OER* loca saxosa. Alterum me docuit in Glossario Sweo-Gothico Reverendiss.

DELINEATA.

Archiepiscopus Haqu. Spegel, pag. 161. alterum Clariss.
antiquitatum patriæ Professor Olaus Verelius in Lexico.
Hinc *Oere-sund*, *Oeresunds-bro*, *Oer-by*, *Oerby-huus*, *Oerebro*,
Oere-Skiar nota nostris vocabula. Priori itidem & Lati-
na, architectis usurpata *Grunda* & *Subgrundationis* vocabu-
la, quamquam alia significant, conveniunt. Sicut & ve-
terum *Acharontæ* per *Afgrunden* ab antiquariis nostratibus
interpretari solet. Contigit autem nupere, sub finem
scilicet proximi & undique calamitosi, sed compositi jam
Numinis benignitate sensimque obliviscendi belli, cum
numerossæ circumvolitarent oras nostras Muscovitica-
rum triremium classes, ut oppidum hoc excensione ab
hostibus raptim facta, horarum aliquot spatio exureretur
totum. Nunc domiciliis suis resarciendis strenue sylvas
oppidani cedunt, & consuetas suas parandi victus artes
sedulo urgent. Ego cum piscatoria scapha majori,
nam adducebam simul meum vectorem equum, fretum
transi, & partim equestri partim & terrestri itinere
insulam aliquot diebus pervagabam, quam quatuor millia-
rium circiter longam putant, Svecicarum scilicet, qua-
rum singula 18000. ulnis hodie constant. Sed latitudo
in duabus imprimis locis ita arctatur, inter amplectentia
utrimque Amphytrites uda brachia, ut & spectari ex al-
tiori loco inhorrescentis utrimque maris fluctus & eorum
audiri inter Scopulos ejulatus latratusque possint. Sed nec
lustrasse hoc modo terram contentus, circum ire etiam
eandem maximam partem cœpi, Insulano duce, lembo
quadriemi. Id enim tranquilla tunc aëris tempestas sva-
debat, placidumque ac pacificum plane mare & jucun-
dissima, sub hoc cœlo nostro ætivaræ vereque Elysæ no-
ctes invitabant & frequentissima hic littorearum avium
cohorres, & nulli interdicta venandi jaculandique licen-
tia. Sic litus legendo sensimque procedendo, & extan-
tia promontoria & reductos sinus otiose spectabam, in-
posita.

positaque nomina adnotabam. Priora *NÆS* nostris dicuntur, forte a Græco *νῆσος* ut Glossar. Sveo-Goth. pag. 315. habet: Posteriora *WIIK* & *Wjkar* nescio unde appellantur. In veterum certe nostrorum Scaldrorum carminibus, qui in sinibus marinis latitantes, lembis suis piraticis olim haud raro infesti erant transeuntibus *Wjkingar* dicuntur. Posteaquam autem satis mihi spectasse & audivisse videbar quæ constitueram & quæ deferre mecum plantas vel lapillos cupiebam, collegeram, Oe-regrundam redii ad eundem quem prius ibi nactus hospitem fueram. Sumtaque brevi requie, per Borstellam, atque adeo aliã, quam quã accesseram via, Scheffthamaram, Adellundam, Stabyam, Rasboam, tandem almam matrem Upsaliam perveni, ut quæ in meos conjeceram pugillares, digererem. Ad quæ recensenda memet jam accingam, posteaquam B. Lectori in dissertationis fronte, totius insulæ exilem quidem sed non oscitanter adumbratam delineationem positam esse, indicavero.

Fretum maris, oppidum & insulam inter, passuum solummodo 2400. longitudinem habet. Et acriore frigore ut plurimum concrevit, utcumque, in hoc tractu *OERESUNDS-GREPEN* dicto, aquarum torrens manifesto ferveat, & aquiloniæ haud raro procellæ ingentes in angustiis fluctus ciere soleant, qui & sedata tempestate perdurant, & *Lungswall* piscatoribus dicitur; glaciesque licet marinæ aquæ, quæ congelare difficilius solet, caussa a Physicis nondum detecta, sæpe tam altè tabulatur, ut cum onerosis vehiculis transire pluribus locis liceat, qua occasione si qui & Lupi forte transierint, eos, nisi antequam regelaverit aqua, mature repedaverint, nex ab agrestibus certa manet. Profunditas vero ea hic est, quæ onerarias etiam nostras naves capiat; quales utique sunt, quæ inde usque ab Ulyssibone & Sanctubes portu, Hispanicum a sole & salo sponte perpetimque concrevissent salem,

salem, cetariis nostris ac lanionibus mercem absolute necessariam consuetumque borealibus condimentum advehunt & præter vina harum regionum generosa ac meraca non sacro modo usui, & refocillandis agris, sed & conviviis nobilium eorumque æqualium expetita, & passas solem uvas insuper, & ficus & amygdala & poma denique Hesperia, licet brevi duratura, aurantia scilicet & cedromela, recentia & condita adferre quotannis solent.

Petrus Gjødda Stockholmensis, qui Capitaneus bellicæ navis obiit Caroli - Coronæ Anno 1696. in suis Balthici maris hydrographicis ac nauticis tabulis, annorum plurimum studio cunctorumque littorum exploratione repetita perfectis, & Amstelodami tandem impressis, profunditatem hujus transitus ponit 16. 15. 14. pedum.

Primum autem hic occurrit villa Regia dicta *Kungsgården*, quæ itidem A. 1719. ab hostibus, ne non mutua utrinque damna inter belligerantes exstarent, in cineres redacta fuit, cum Oesthammar Oppidum, & præterea Löfstadium & Forsmarkia & plures aliæ nobiles fabricæ non nostro solum sed & exterorum insigni damno simile subirent fatum. Nunc aliquot exstructis domiciliis, præfectus fundum hunc tribus integris prædiis rusticis constantem curat, inhabitatque nomine Generosissimi Baronis Domini *Otonis Reinholdi Strömfeldii* Regii Collegii Cameræ præsidis, qui jam dudum hypothecarius hanc villam possidet, donec vel illa per annuos suos redditus sese repignoraverit, vel potius ut annui villæ redditus fænoris loco sint & usuræ, donec caput & pecuniæ summa forsque debita, a Republica exsolvatur. Id a pignoris voce *PANT & FÖRPANTNING* dicitur. Etiam illustrissima Vrediorum familia quasdam hujus Insulæ villas eodem jure, donec redemptæ fuerint, habet, in septentrionali imprimis parte, *Söder-bodam, Nörr-bodam, Maorts-bodam &c.* Reliquæ *Cron-hemman* dicuntur. In universum vero juncta

Ita simul sumta, non ultra viginti integra prædia sic di-
 sta, conficiunt. Quorum nomina territorialis Scriba pu-
 blicus *Häradskrifwaren* adnotata servat, ad cujus indicem
 præfectus, qui publico, vel ut nostri loquuntur Coronæ
 nomine, *Cron-Fogden*, hæcce curat, recipit a colonis
 definitos reditus. Et quanquam hi soleant in pecuniâ,
 Frumento, Pecore, Operâ communiter dependi, in ha-
 rum tamen villarum censu non tam ad agros, qui utique
 illis exigui sunt, respexere, quam ad pastionis magnitu-
 dinem & piscationis opportunitatem. Nam prata hic im-
 primis & pascua larga lætaque sunt, hoc est copiosa &
 herbosa sane, *ett härligit och makalöst mublbero*. Sed ce-
 duam sylvam non nisi modicam possident; posteaquam
 proceriores Pini piceæque & longæ Abiegnæ trabes exci-
 sæ jam dudum fuere, avectæq; , quas a vocibus *ἑλάτη τέλεια*
 & *ἑλάτη ἄριον*, *Gran* & *Tall* apellamus. Illorum enim
 pineta hodie ex illo præcipue constant genere, quod
Gårtall dicimus, circumdato cortice & albarno crassio-
 re, caudice raro ultra 8. ulnas alto, cum alterum genus
Furutall, longo caudice erecto, & paucis, nec nisi in
 summo, ramis gaudeat. Illos autem sequioris generis,
 nostri cortice denudant, eo latere, quo soli obvertun-
 tur, unde anno interjecto vel altero, copiosa tandem re-
 sudat & concrescit resina, ex qua in picariis suis liquidam
 picem excoqvunt, quam nos ex eo *TIÆRA* dicimus,
 quod olim ex cedro arbore suam Kedriam conficiebant
 Phœnices, navigationum inventores primi, cum in Asia,
 Tyrum & Sidon urbes, & montes Carmeli ac Libani
 thuriferos inhabitarent. Gallis *Gaudron*, Arabibus *Chi-
 rran*, Belgis Germanisque *Thär* & *Teer* hæc eadem ce-
 dria pix vocatur: sed de hisce quisque ut libitum fuerit
 sentiat. Hoc autem oleum resinæ crassum, & per ignem
 suppressionis, ut Chymici loquuntur, confectum, Insulanî
 nostri non nisi in domesticos suos usus parant, bonam-
 que

que nec inquinatam sordibus habent, sive liquidior illa fuerit & tenuior vel consistens magis. Interim nec frondea nemora hic desunt, præcipue in iis locis ubi olim incendia casu vel scelere exitata, densas sylvas pervagarunt deleruntque: nam & id, licet quidam non generari hodie plantarum seminia sed præexistere putent, observatione tamen constat certa, post exusta scilicet pineta ex ipsis cineribus enasci Betulas, *Biörk*, & Corylos *Hassell*, & Fraxinos *Ask*, & Alnos *Abl*, & Populos tremulas *Asp*, & Salicis imprimis species, quæ *Wijde* dicitur viminalis, & *Hälster* sive *Hielster*, flava vitellina & *Sjald* sive *Sälg*, cinerea latifolia; quæ omnia frondiferarum arborum genera ibidem passim observavi. Sed & Sorbos vidi *Oxlar*, & quasdam proceras Ulmos *Alm* in insulæ plaga orientali. Quercu interim, materiâ, & fago, oleo suo fructuosus destituuntur, *Eek och Book*; ut & illa salicis specie quam *Pihl* vocamus, quas ibidem arbores ne plantari quidem posse non dixerim, cum rubras & nigras Ribes ibidem sponte natas deprehenderim, *röda och swarta Wijnbär*, quarum posteriora sua voce *tistron* appellant, & præterea *Grossulariam* seu *uvam crispam*, quæ itidem vitis quædam remotior species est, Arctoïis terris concessa; cujus evulsas ex insulis circumjectis frutices & in hortos Oeregrundenses delatas, usque adeo latè vegetasse accepi, ut baccas tulerint prægrandes & mire perlucidas. Angelicam item & Aristolochiam & Orchidum species plurimas sive variationes, aliaque non injucunda botanices Studiosis hic prætereo. Terra interim ipsa non limosa & pinguis sed sabulosa & saxis conspersa apparet subterraneisque rupibus ex imo ad superiora pertingentibus, ut eam loco *Gräs-öa*, *Berg-öam* joculariter Insulani inter se nominare soleant. Certe quam accepi ab quodam sene traditionem reticere non debeo, maximam olim hujus Insulæ partem aquis demersam latuisse, quod & crediderim,

præ:

præcipue cum & alibi vestigia supersint, longe majorem altitudinem ante hac fuisse, quam hodie est, hujus Tacito dicti *Maris Suevici*. Ut hic non proferam, quæ nos docent Seneca & Plinius quasdam alicubi ex imo mari Insulas subito extitisse, vi egestas scilicet & eructatas quasi. Sicut & de Gotlandia, illo Insularum Baltici maris Ocello, vetus codex Gotlandicarum legum tradit, nocturnos ignes in aquis mediis sæpe reluxisse, antequam ipsa sese tellus in apricum proferret. Quæ naturæ miracula quomodo explicare poterint, qui subterraneum orbis nostri perennem ignem negant, non video.

Sed ad alia vertar, & exteriorum insulæ partium denominationes, ut illa sese circumnaviganti offerunt recencebo. Initium faciens a *Westerbya*, utpote villæ regiæ proxima, a suo ad austrum situ sic dicta sinumque *Långwiken* adjacentem habente. Tum *Diursens Udden* sese profert, ubi ante nuperum hoc bellum cumulus stabat erectus, quem incolæ, subito quodam ingruente metu accendere possent ad imminens periculum late indicandum mediterraneis: Quamquam & nostri illa, circa latentes syrtes indicia & signa cumulorum voce indignant, *Kummel* & *Wårdkummel*, quando alligatum picato funi saxum in fundo subsidet, dum interim altera funis extremitas, apicem arboris piceæ inter undas recta eminentem tenet, ut præternavigantibus brevía hæcce evitanda moneat; Nam quas in aliis maribus tonnas in hunc usum erectas ponunt, in hoc nostro, glacialia hyberno tempore fluctibus immixta tabulata, brevi disjicerent. Sequitur *Klockarboda* sic dicta fortè quod ædituis ante hac destinatum domicilium fuerit. Supra hanc autem *Mårtsboda* visitur, sic nominata, a familia quæ hic olim degerat, Mårdarum cognomine, quod Schyticas mustelas sive martes significat, quas *Mårdar* vocamus. *Wester-mortare* a situ ad occasum solis nomen accepit, ut *Söder-boda* a situ ad meridiem quem nos

Söder

DELINEATA.

9

Söder a sudo hoc est sereno cœlo, vocamus, & *Nor-boda* versus boream. *Bode* vero vocem in pagis vicisque nostris frequentem a Germanico *Bude* vel Gallico *Boutique*, vel denique Græco vocabulo *Apotheca* defluxisse hariolor. Littus autem horum locorum circumflexu quasi sinuatum, portum efficit, quem Fennones quidam olim *Jumalabamn* dixere, cum gravissimas tempestates & procellas & præsentissimum naufragium præter omnium expectationem evasissent numinis manifesto auxilio. Ut solet hæc gens industria & imperterrita hyernas etiam, cum clausum esse mare debeat, navigationes levi de causa suscipere. Huic portui proxime adjacet *Kråkeskaten* dictum promontoriolum, qui locus piscationi commodus est strömingorum quæ stationes, *Skjöte-grunder* appellant, hoc est, marinos fundos, ubi sua retia demittant. Hic autem fretum interponitur quod a magna insula minorem illam *OEHRSKÆR* hoc est scopulosum littus, dictam, discriminat; cujus præcipuum ornamentum Pharam postea describam, nunc reliqua persequar. Littus a meridie vadusum longe sub aqua ex porrigitur, a septentrionali vero & occidentali latere *Nord-wäst sidan*, unde caurus vel corus ventus spirat, præcipitem rupes in abyssum descensum habent. Alterum *Lång-grunt*, alterum *Bråd-djupt* nostris dicitur. Unus excurrentium insulæ angulorum *Hingsen*, alter *Squatén*, alius *Gudzby*, alius *Oxen*, & hi quidem ab eo Insulæ latere, quod euro-aquiloni vento, *Nord-ost* dicto obvertitur. Qui vero Pharo a meridie adjacet, *Söder om Fyrbåken*, *Rosenkatt*, alius *Terra*, alius ab oriente situs Phari, *Biörkskaten* dicitur, appellationum causas ignorantibus piscatoribus, utpote Etymologicarum argutiarum parum solliciti, & impositis jam dudum locis hisce nominibus. Non autem harengis modo minoribus captandis suas hic stationes habent sed & alio piscium generi quod *Sikar* dicitur, harengis majores & præpingues, frequenter retia ponunt.

B

Nam

Nam indigenarum genera piscium aliquot habemus non facile referenda ad ea quæ tradidere Athenæus, Oppianus, Rondeletius, quam diu illorum non habemus anatomen accuratam: *Særv, Harg, Ijd, Asp, Nors, Gjöf &c.*

Hic autem circuncirca maris fluctus per quam horridi spectantur, etiam tum cum tempestas imminuta sedataque videtur. Animadvertunt insuper & observant quandam maris intumescentiam *Op-sjö* dictam eamque præcedere independentes ac imminentes procellas ac imbres, defluere autem rursus ac subsidere cum serenum cælum futurum est. *Sjön faller utb.* Ingruentium certe tempestatum ventorumque mutationis solertissimos divinatores hic reperire licet, cumque prædicere hæc minus expertis soleant, non mirum est ortam veterem fabulam; ventos ab Insularis divendi navigantibus solere. Interim superflua hæc marina aqua pratis pascuisque non nocet, licet interdum evaporatæ saluginis levia quædam vestigia passim relicta observentur. Sed nec pecora marino potu læduntur, potius illa ex commutatione loci male habent. Medicatas certe marinæ aquæ vires, internasque dotes æque ac externas in variis morbis veteres medici non reticere Dioscorides, Aëtius, Aretæus, alii: licet id hodie nos negligamus, utpote exoticâ orbis novi materiâ medicâ dudum repletis sepalsiariorum officinis. Sed nec dulci aqua, hæc nostra parva Insula destituitur; nam in ejus meditullio stagnum est, cujus fundus petra mera & continua. Unde pisces captas vidi Auratas dictas, quas & nos inde *Rudor* vocamus, ex illo piscium genere, cui maxillæ quidem edentulæ sunt sed dentes tamen in gutture occultas gerunt, & reconditas & natatoriam vesicam duplicem habent, ut *Carpa* vel *Cyprinus* & *Asp* nostras. Sunt & minora stagna duo paludosa ad orientem insulæ sita, & præterea prope ipsam Pharum, fons perennis aquæ limpidæ, quæ potui jucunda est & ad edulia coquenda præfer-

fertur. Etiam hic puteum sibi foderunt, ne scilicet in aquis mediis positi aquam desiderarent. Agrum autem insula hæc nullum habet, sed pascendis pecoribus præpinguia prata, imprimis duo complicatis viminibus septa, Phari custos tenet, quorum alterum intactum cum ibi eram, hortum quendam mihi indigenarum nostratium plantarum referre videbatur, ita erat diversissimis plantis late vegetantibus confertissimus. Sed hisce relictis & ultra tendentibus *Söderboda Hålmarna* sese offerunt, insulæ exiles sparsæ ubi equos & capras, ovesque repositas per plures septimanas sub cura juvenis ancillæ rusticæ relinquunt. Hinc longius progressis nobis *Oester-Mortare* patefcebat & promontorium cui infaustum nomen ab ossibus contigit, forte ejectorum, naufragiis olim infepulorum cadaverum, *Been-Oen*. Sic enim a spinis ossa nominare solemus, sicut ab *стѣны Stenar* dicuntur, quæ magnæ telluris matris utique ossa sunt, si Ovidio credimus. Post hæc autem sinus *Koolwijken* dictus, quod eum vaccæ tranare soleant, æstivum forte fervorem demulcentes. Tum *Kallboda* & exinde *Swartbecken* & huic adjacenti *Norswedden*, exustionem septentrionalem significans. Sylvas enim excindere & virgultorum flammis subjectorum cineribus sata sua absque vomere & sarculis concredere, quod *Swedra* dicitur, tam frequens mos ab antiquitate ultima nostris hominibus fuit, ut hodie coerceri etiam is ipse debeat edictis publicis, ne sylvæ urbium, classiumque refectionibus utiles, vel metallis comparandis necessariæ in favillas abirent. Plurimum autem arctari hic solum incipit inter mare interius exteriusque, licet promontorio uno alterove intercurrente & intervenientibus quibusdam insulis ad *Nordangjärde*, quasi Borealem hortum dices & *Oesterbya* & *Muskarsgrunde*, villæ Regiæ ex adverso oppositum in ipso insulæ isthmo, quem innuimus superius. Hic prospicere scopulosam exilem insulam

fulam licet in alto positam *Norskjäret* dictam ut alias plures circumsparsas reticeam, eo interim imprimis nomine memorandas quod hospitia saltem temporaria si non stabiles domos praestent variis aquaticarum avium generibus oceanica volatilia nobis dicta *Sjöfögel*, quae a meridionali orbis plaga ad hasce oras numerosae commigrant æstivo tempore, credo & sole inocciduo allectæ & escâ prædaque parata ex strömingis quos sectantur assidue. In scopulis autem nidulantur, inter ipsa saxa, aliæ in juniperinis fruticetis sua parientes ova, aliæ in locis paludosis: dum interim locatores insulani præcium accipiunt fundi locati plumas & ova, quorum si non primum modo sed & secundum partum auferunt *första och andra kullen*, aufugiunt aves nec redeunt. Putamina horum ovorum sunt viridia & maculosa ut plurimum nec minus ac ipsæ avium plumæ picta. Vidi quæ ad magnitudinem ovorum anseris feri accederent. Internoscuntur a piscatoribus nominibus suis non facile alia lingua interpretandis. *Aodor, Swartor, Brackor, Knipor, Skräckor, Mosar* & harum species sunt *Liusor, Swartbaakar, Trutar*, omnes versicolore pluma, & palmipedes maximam partem, sed & quædam fiscipedes. Hos insulani, vel plumbeis globulis pyrio pulvere ejaculatis feriunt, allectos litoralium avium infartis simulacris, quæ *Wättar* appellantur, undis innatantibus: vel aves copiose sæpe in fretis angustioribus latitantes primo diluculo in retia inter ripas extenta subito clamore perterrefactos adigunt, vel ingeniis aliis. Estque hic frequens *Gräsöensibus* cibus, sive assatas velint sive elixas, rejecta tamen ebullitionis primæ aqua ob virus piscosum quod harum avium carnes habent, vel denique semicoctas acetoque conditas servant. Posthæc sinum maris *Longwiken* dictum prætervecti sumus, post & insulam *lilla Ryfteen* & aliam. *Id-ön* & aliam *Bjur-ön* dictas. Nam Castores *Bjurar* apellamus ut & Germani eosdem.

Bewers dicunt, voce utique desumpta a Latinorum *Fiber*. Nam ut culturam omnem adeoque & Artes ac Scientias & Religiones a meridionali ad septentrionalem orbis plagam sensim delatas fuisse nos docent historiae, ita & una cum rebus nomina etiam migrasse credibile est, licet per longam ut ita dicam provolutionis suae viam detrita immutataque saepiuscule vix jam agnoscantur, deperditis dudum, si quae olim alia fuere. Super qua re tamen cum aliter sentientibus contentionis ferram trahere nihil opus est. Posthac autem cum plurimis aliis minoribus anonymis, alia quaedam Insula scopulosa, *Räfsheen* dicta, sese obtulit, quasi vulpium Saxum diceret, ut enim vulpes vocamus *Räfsvar*, a rapiendo, *rauben*, *röfva*, sic vulpium voce catulos indigitamus canum, *walpar*, rerum nomina facile conturbante vulgo, penes quem est lex & norma dicendi. Hic autem jaculatorem experientissimum habitantem reperi phocarum, quarum venationem non minus ærumnosam esse, quam vel cervorum vel aprorum vel alcium urforumque est, referunt. Has nostri *Skjäl* vocant, Helcum vertit Olaus Magnus Hist. Nat. lib. vidiq; hujus feræ carnem sole siccata & nigro colore horridam, quam tamen non aliter ac nos ovillas fumo solo siccatas carnes esitant: etiam recentem, coctam partim, partim & assatam in suis conviviis proferunt: pedes imprimis cartilagosos marini vituli coctos salitosque servant, & affuso aceto comedendos, inter edulia delicatiora numerant: id illis *Skräfvelsylvta* dicitur. Laridum vero sive spectile & oleum inde deliquescens *Skälspek* & *Traan*, cujus præcipue causa feræ huic insidiantur, coriariis alutariisque divendunt, vel ad rotas inungendas eo utuntur; etiam in lucernis ubi fumus sub dio evaporat, denique & sua tuguria eo oblinunt, rubro pigmento illud admiscentes, quod vulgaris inter nostros usus ex vitrioli minera combusta & salugine elota paratur; hujus

interim olidæ pingvedinis medicatas vires Dioscorides & Plinius adnotarunt, nostri medici contemnunt vel forte ignorant. *Stora ry-steen* undique circumflua est, id *Watt-wälf* nostris dicitur, ut & *Orm-ön*, hoc est insula serpentum, quos *Ormar* vocamus, detorta Latina vermium voce. Hinc denique *Wessars-ön* ultima insularum minorum quæ nomina propria acceperunt, & *Gräs-öa* tamquam matri annumerari solent. Reflexa autem hic navigatione, rursus ascendimus ad *Sladdar-öam* & *Faor-öam* & in communem onerariarum navium viam quam *Skeps-lede* dicimus delati sumus. Haftenus enim recensitæ insulæ latus, quanquam obversetur aperto mari, tamen multis suis fyrtibus navigantes a terra arcet, nec nisi cum lembis ac piscatoriis scaphis ab ipsis Insulanis a primis ungviculis huic mari assvetis, sed ne sic quidem in tempestate nebulosa sine-periculo sulcatur. Strömingorum interim inter hæcce infida loca piscationes quæstuosissimæ sunt. Pergentibus nobis *Kiäring-ön* & *Kiäring-sundet* transcendenda erant, quasi vetularum insulas fretaque diceret. Nam ut proceros viros & egregios, *Karlar*, ita pusillos & exiles, diminutè *Kärtingar* olim dixere, qua significatione dudum evanescente, jam anus vetulas hac voce, sed minus urbanè indigitamus. Est autem navibus ea hic transitus angustia, ut modico etiam munimento impediri & intercludi omnis ille, si expediret reipublicæ, posset. Post *Kullboddan*, *Farsholmen* sequitur; parvas enim Insulas & exiles *Holmar* dicimus, hinc *Biurs-holm*, *Castel-holm*, *Grim-holm*, *Helgands-holm*, *Lilje-holm*, *Munk-holm*, *Reddar-holm*, *Scheps-holm*, *Scock-holm* nomina sua olim acceperunt. Sic in veterum sagis *holmstefna* & *holmgong*, monomachiam, & ad duellum provocationem significat. In locis enim hisce olim pugiles rabie sua perciti ad internecionem inter se pugnaturi conveniebant. Hic autem *Farsholmen* brachio quasi quodam portum illum efficit, qui ad *Kungs-*
gaor-

gården egregius est, unde non longe sita est *Wästerbya*, in qua uti cœpit ita & jam hujus peractæ in circulum navigationis nostræ terminetur relatio.

Templum insulanorum non procul a villa regia situm est. Exspoliatum quidem ab hostibus fuit nupero bello, sed ignis injectus non fuit, alterum in reverentiam Numinis, alterum ad auferenda, quæ forte in ipsis cæmæteriorum subterrannis locis absconderant incolæ. Turrim templum hoc non habet, sed campanas proximè exstructum campanarium servat, non æreas sed ferreas, sed nec minus sic sonoras, cum indicandæ sunt celebrationes divinorum officiorum. Est hoc templum ante hosce 40. annos exstructum clementia *CAROLI XI.* Regis, cum alta pace patria frueretur. Diurnas, per vices ad id operas suas conferentibus colonis. Id *Dagsvärken & gongleed* dicitur. Nam incolarum commoditas exigebat ut ne aquas transire necesse haberent dominicis festisque diebus, *Borstellam* usque proficiscentes, cui Ecclesiæ tamquam Matri, hæc anæxa subest: quamquam & anteaetis temporibus locus erat, in villa regia decorus & capax, ubi *Borstellenses* capellani conciones ad populum habebant & sacra administrabant. Primus qui fixam obtinuit in Insula sedem fuit Magister *Augustinus Lenander*, alter qui hodie residet Rev. Dominus *Laurentius Romannus* est, *Wästerbyam* templo vicinam inhabitat, & præterea pro quaque piscatoria scapha dimidium pondo accipit *Luciorum* piscium sole siccatorum. Accipit & decimas a frugibus quas a scapi voce, *Skafft-tijonden* vocamus, relictis butyri & pecoris decimis Pastori *Borstellensi*, *Smör och gwicktijonde*. Numerus Insulanorum templum hoc frequentantium sesqui fere centenarius est.

Nec metallis destituitur hæc Insula. Nam ad *Norbodam* fodinæ ferreæ sunt, nuper excultæ. Illarum quæ *Storgrufwan* à cryptæ voce nomen accepit, orgias 8. profunda

da est. Ostenduntur & alia passim Scrobes, inde *Skjerpningar* & *ny-brytningar* dictæ, utpote noviter effractæ, quas & *Mörtens-gruwor* appellant, cum hujus cognominis Civis Gevaliensis inter alios, sumptus subministraret. Etiam harum partes quasdam possident, nobiles quidam Viri, quos publici boni spes alit. Remque totam dirigit Inspector *Andreas Floor*, suam & ipse assignatam sibi partem tenens, qui & præterea ob inventas primum venas præmium cepit ex tenore edicti publici Anno 1723. Regis ac Domini nostri Clementiss. *FRIDERICI I.* Cumq; horum omnium, ne labor in damno sit, interesse debeat, *Interessenter* etiam ex eo communes focii vocantur. Ipsa minera ferrea, quam a metallo *Malmen* appellant, bona habetur, saxo griseo & candido innata; meliorem in profundo futuram sibi augurantur. Cumque venæ metallica vel ad perpendicularum descendere vel horizontaliter vel transversim ferri soleant, hæc hæcenus erratica est & interrupta. Frangunt autem lignis majoribus accensis petram, tignorum enim sex ulnarum longitudine in quadrum compositorum strues, *Stafrum* dicitur; quæ ceduntur & adferuntur ab acolis, & præmium solvitur a fodinariis pro ut convenere. Majora abruptæ petrae metallica saxa *Storra gråbergs stngor*, forando & pyrio pulvere discutiendo comminuunt. Comparatam sic laboriose venam, ipsi tamen non excoqvunt, cum Massariam officinam in insula non habeant, sed ad littus proximum deferunt, pro quoque pondere nautico monetæ cupreae accipientes marcas tres. Unde metallicus lapis ad Harnæs & longius distitam Lufnam in Gestricia avehitur aliisque admixtum venis in ferrum optimum transmutatur.

Restat ut de specula, quam *Oerskjær* Insula Græs-öæ nostræ ad septentrionem caput memorabilem habet, quædam referamus. Hanc nostri *Fyrbåken* dicunt, accepta forte a Belgis voce, quæ Gens si quæ alia cum Socrate mundana

dana est, suisque classibus dudum terrarum orbem circum-
 ambulare cepit. *Vuur-baak*, Gallis *Fanall*; qu'on allume
 la nuit pour montrer la route aux vaisseaux. Feu allumé sur
 des hautes tours pour servir de guides aux vaisseaux sur mer.
 Habet & du Fresne in Lexico, *Phanalium*. *Vuur* quidem
 Feuer, feu, cum Græco $\pi\upsilon\rho$ coincidit, hinc op de schee-
 pen vuuren hoc est, *Lantarnen uytsteken*, &c. Angli itidem
 has speculas *Beacon* vocant & *Watschrower* interpretantur.
Bak autem Belgis vas quaecumque significat. *Een hou-*
ten bak, *Een steenen bak*, *Een regen bak*, item *te Scheep ee-*
ten ze zewen en zewen aan een bak. Hinc & *Bak* signa
 notat circa loca maris periculosa. *Baken zeten*, *verzetten*
of verplazen, & *Belgicum* proverbium: *een Wrak is een*
bak in ze, hoc est, felix quem faciunt aliena pericula
 cautum. Gallis *Balises* dicuntur, id propius ad *bâbl* vel
bâl accedit, quod & nostris ut & Islandis rogam signi-
 ficat, *Mette ou changer les balises*, ponere vel tollere
 signa posita navigantibus. Quod belli tempore ad hostes
 fallendos fieri posse a perantiquo *Nauplii* stratagemate
 discere potuere recentiores, qui Græcis ex Troade rever-
 suris atque cum noctis caligine & vi maris tempestatis-
 que luctantibus, faces accendit in Euboico monte *Capha-*
reo, ubi locus erat periculosissimus. Quo cum navigia ver-
 terent, fessis sibi amicam esse invitationem in portum
 rati, classis eorum scopulis, & vadis allisa periit. *Ovid.*
Metam. lib. XIV. v. 470. seq. Cui simile quiddam ab hi-
 storico nostrate nobiliff. *Samuele Puffendorffio* in historia
Svecana, quod Anno 1678. ad scopulosa *Bornholmia*
 littora contigit, memoria mandatum habemus.
 Sed & *markase* vetus apud nostros vocabulum est
 notatque *Kase* Cumulum, qualem defunctis in memoriam
 erigebant, ut docet *Runica* inscriptio notabilis, quam hic
 adferre liceat e *Scandinavia* veteris geographia *Clar. J.*
Biörneri, qui & *Cippi* hujus delineationem accuratam de-
 scribit.

dit. pag. 10. *RAIDUMUG GIRIDI KASA, THURI, TYFON, IGRA RISTU STINA THIGSI AFWAN UG IN MIKLA, ATIA TIS GIATITLATA, GUNIR IG STIN.* i. e. Raidumug fecit cumulum, Thuri, Tyfon & Igra, erexerunt hos lapides super Ogo Magno, Satore & Deo Geticarum terrarum. Gunir sculpsit lapidem. Huc referre & id liceat quod me docuit clariss. Atlantices auctor, strues tales cum antiquissimis temporibus in insulis *Fionia, Fafria, Selandia, Mania & Lalandia* erigerentur, nomen hinc ipsis *Wetalahed* dedisse, ab *Hed* planitie vasta & inculta & *weta* seu *witar* pyris. Atl. tom. I. p. 77. tom. 3. pag. 136. & 381. confer De Angaris dissertationem eruditam Domini *Fegmanni* Upsalis 1690. Sed & *Pharæ* vocem despiciamus, quæ à Pharo Insula defluxit prope Alexandriam in Ægypto, in qua turris ingens fuit albo lapillo a Costrato Gnidio, Ptolomæi Philadelphi auspiciis exstructa, in qua noctu accensæ faces navigantium cursum dirigebant, quæ & ipsa Pharus dicta. Ita enim de Pharo Ægypti Cæsar Lib. 3. de bello civili cap. 112. scribit, cum ipse ibidem periculossimo tumultui involveretur: Pharus est in Insula turris magna altitudine, mirificis operibus exstructa, quæ nomen ab insula accepit. Et Plin. Lib. 38. Cap. 12. hoc nominis ad ceteras postea speculas in ejusmodi usum exstructas transivit: quarum enumerationem accuratam & veteris ævi & recentioris, maris Mediterranei, Hispanici, Germanici denique & sinus Codani, *KATEGAT* dicti marisq; Baltici, nuper dedit in sua de Pharis dissertatione Dn. *Nicolaus Hasselbom.* Upsalis 1722. Hæc interim de qua jam agitur Pyra, e ligno structa est, & ædificata tempore illustrissimi comitis & Regni Thesaurarii Dn. *Stenonis Bielke*, qui possidebat *Gräsåm & Borstellam & Hokbuswud & Skefthammar & Wablöö & Tongan* in *Ekeby*, antequam scilicet concessa privatis bona reducerentur reipublicæ causâ. Relatum autem accepi

accepi, cum jaciendis fundamentis excinderentur rupes,
 & ferramenta operi firmando destinata circumfuso plum-
 bo firmarentur, Galegam sive plumbeam argenti mine-
 ram, *Bly-glans* nostris dictam, passim repertam fuisse, fu-
 sumque in igne ejus pondo unum, argenti puri dedisse
 lotones septem. Marinas certe aquas non impedire me-
 tallorum generationes facile crediderim. Ceterum re-
 fert hæc specula turrim cellam quandam, cui contignatio-
 nes sunt tres, 77. ulnarum altitudinem facientes, ad quam
 gradibus 103. ascenditur. Præterquam ipsam hisce super-
 structam domum, ubi ardent ignes, & huic rursus super
 impositum receptaculum, ad capiendum ex lucernis fumum.
 Totaq; moles in octo latera surgens attenuatur & supernè
 in globum & plagulam versatilem desinit. Ipsa Lampa-
 dum vel Lucernarum domus ante hæc fenestras habuit 60.
 sed cum intermediæ postes umbrâ officerent lumini, in-
 majores jam 12. transformarunt, ferreis clatris munitas.
 Hic circumfixa lampadum ferrearum paria sex ellychnis
 gossypinis duobus, singulæ instructæ & olei cantharum u-
 num capientes, quod libras sex pond. civil. pendet, truti-
 na examinatum. Insigniter autem lumen lampadum au-
 getur per opposita specula ingentia sex, chalybea a nitore
 dicta, concava, diametro sesqui ulnæ longitudinem attin-
 gente. Singulari illa diversorum metallorum mixtu-
 ra fusâ politaque sunt circa annum 1684. ab artifice Fran-
 cofurtensi Teutonico, cujus & nomen super est Johannis
 Dan. Brauni. Exilliora ejusmodi specula Stockholmæ in in-
 stitorum scenis tabernisque ac officinis relucere passim vi-
 dere licet. Vitreæ itidem massæ, globum per medium
 sectum referentes, lucernarum lumen egregiè augent,
 ut guttas illas majores vitreas aqua limpida plenas, qua-
 les habent automarii & auri fabri præteream. Cum,
 vero nupere nostri vererentur hostium excursions, abla-
 ta hinc hæc specula metallica Borstellam primum de-
 duxerunt.

duxere, cumque nec ibi satis in tuto collocata videren-
 ter, cum nostræ terrestres copix non eadem facilitate
 littora ob ambulare possent, ut ingruenti hosti sese oppo-
 nerent, qua hostium triremes quocunque vento flante
 vagantes, sese in alto spectandas præbebant percussis me-
 tu colonis, ad *Hökhuswud*, denique ad *Ekebyam* eadem
 transportarunt, ubi & in hunc diem orbis unus specula-
 ris in templi sacrario restat. Nam nec initio nisi quatuor
 instructa speculis hæc pharus erat: quæ tamen lumen
 latè spargit hybernis noctibus ad 5. vel 6. miliaria; ut à
 nautis accipi. Habent autem lini oleo opus, quod de
 femine exprimitur ejusque copiam sufficientem servant in
 vase capaci laminis plumbeis intus obducto. Nam o-
 leum seminis raparum flammam dat quidem lucidiorem,
 causa haud obvia, sed frigore bruxæ incrassatur lente-
 scitque instar sebi. Utrumque adferendum illis est ex
 transmariis locis, cum alia huic flammæ nutriendæ pin-
 gvedo commoda illis non suppetat. Circa vesperam fe-
 sti Bartholomæi, quod in mensem Augusti incidit solen-
 niter accendi lampades solent. Idque usque ad Sancti
 Andreae festum continent: noctibus scilicet, nam & cla-
 ra dies & meridiana utique lux lampade non indiget, &
 nebuloso itidem cælo non accenduntur, quod *Sjö-mörcke*
 nautis dicitur, frustra enim pharus illuminatur, caliginoso
 aëre visum omnem intercipiente. Sed & maturius inter-
 dum hos suos extingvunt ignes, cum frigore nimio con-
 cretum glacie mare redditur pigrum & clauditur navigan-
 tibus. Custos turris salarium annum 400. thalerorum cu-
 preorum accipit, servosque duos habet qui vigiles una-
 cum domino noctes per vices agunt. Hæcce nobis par-
 tim retulit Petrus Svedmannus, qui inde usque ab anno
 1684. per 35. annos præfuit Pharo, nunc Upsaliæ degens
 senex decrepitu. Solet cum horridior ventus ingruit sa-
 tis manifeste tota hæc machinâ contremiscere: id peregri
 nos

nos hospites utique perterret, sed custodes, res hæc asveta minime movet.


Non est dubium quin syrtuosa hæcce circum circa loca infamia olim naufragiis multorum fuerint, cum exotici nautæ, ne sumtum levem licet, facerent recipere vel piscatores saltem incolas nollent, qui eos deducerent, vel hæcce ipsa loca non animadversi ab incolis præter navigare cuperent. Apparet autem hæc Pharus appropinquantibus e longinquo stellæ rutilæ instar oceano innatantis, luctantesque cum caligine noctis & vi maris tempestatumque non sine gaudio credibile est adspicere locum *trepidus ubi dulcia nautis Lumina noctivaga tollit Pharus amula luna.* Ut Statius cecinit.

Qui vero locorum gnari providenter naves vel in portus deducere vel in apertum reducere mare norunt, Belgis nostrisque LOTZ & LOTZMÆN dicuntur, Galli *locmans* apellant & *pilotes*, forte sic dictos quod olim transeunda in fluviorum ostiis vada palis vel pilis prælongis prætentabant, id quod nunc bolidæ fit, quod perpendiculum nauticum est, sive pondus plumbeum funiculo affixum, quo maris profunditatem explorant. Sed & *pilotes* Gallis est sublicas vel palos ligneos in aquam defigere, *Pähl-wärcke*. Et *Pilatum agmen* Latinis est pressum ac densum, a Græco *πίλος* *cogo*. Hinc *oppilare* occludere & *expilare*, spoliare. Hinc *Pileæ* & *Philetæ* dicti fures & latrones, sed hæcce hæctenus. In Navem itaque pilota, *Gevaliæ* receptus ad *Oeregrundam* eandem, vel *Kulbodda* portum comitatur, tunc alius rector priorem exipit, qui navem ad usq; *SWENSKHOEGAR* deducat, fyrtem præaltam sic dictam, & tunc navi aperto liberoque mari tradita, acceptaque mercede ad suum littus redit.

Et sic quidem exegi maximam partem eorum quæ de Græs-õa hæctenus dicenda habui, quæ, prolixiora quam forte esse debuerant, agnosco, succinctiora utique futura, si plus temporis in digerendis
iis mihi obtigisset.



Perichlymeni & Dentaria has à se ex-
 sculptas species, Pereximio juveni Dn.
 AD. WERNERO, observantia ergo ad-
 posuit PETRUS SANDEL, ex America
 Wesmannus, alumnus Regius.





www.books2ebooks.eu